

1. Dareus, rex Persarum, qui exercitum in Europam traicere constituerat, ut Scythis bellum inferret, a Persa nobili, cui quattuor filii erant, rogatus est, ut unus ex filiis domi¹ relinqueretur. Cui rex: „Quoniam – inquit – a me petivisti, ut unum ex filiis tibi relinquerem, omnes domi relinquam”. Quo dicto crudeliter imperavit, ut illius filii occiderentur. Ita omnes filii domi remanserunt.

Dareus, i – Dariusz, król perski

Persa, ae – Pers

Scythi, orum – Scytowie

2. Initio quarti ante Christum saeculi duo fuerunt nobiles pictores, alter Zeuxis, alter Parrhasius appellatus. Hi quondam certamen instituerunt de arte. Zeuxis uvas pinxit atque adeo exaequavit naturae veritatem ut aves ad picturam advolarent. Tum Parrhasius tabulam proposuit in qua linteum pinxerat. Quod cum Zeuxis videret, verum esse putavit linteum, quo pictura occultaretur. Itaque nihil agente Parrhasio flagitavit ut remoto tandem linteo ostenderet picturam. Ridens respondit ille, ipse moveret linteum. Tum Zeuxis cognito errore palmam dedit Parrhasio, quoniam ipse avis, ille artificem fefellisset.

3. Agitabat agricola quidam equum et asinum onustos sarcinis. Asinus onere pressus rogavit equum ut aliqua oneris parte se levaret. Sed ille preces comitis repudiavit. Paulo post asinus languore consumptus in via conruit et efflavit animam. Agitator igitur omnibus quas asinus portaverat sarcinis equum oneravit. Tum ille deplorans fortunam suam, “Quam stulte” – inquit – “contempsi comitis preces; nam si illi obtemperavissem, parvulum haberem onus, nunc gravissimum porto coactus.”

4. Druides rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit magnoque hi sunt apud eos honore. nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et si quod est facinus admissum, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt. si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. haec poena apud eos est gravissima. quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. his autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit aut, si sunt plures pares, suffragio druidum adlegitur; nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. (CAES. *Gal.* 6.13.4-10)